




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-568610-p0001-8

DFG



Volente Archiatro Maximo

1650

17

POSITIONUM MEDICARUM PENTAS.

Quam
Consensu & Authoritate Gra-
tiosissimi Medicorum Collegij,

PRÆSIDE

VALENTINO ANDREA MÖLLEN-
BROCCIO ERFURTENSI ME-
DICINÆ DOCTORE,

Publicæ disquisitioni subjicit

FRIDERICUS HOFFMANNUS
HAL-SAXOPHILIATER.

Ad diem 24. Octobr.

Horis matutinis & loco consueto.



232.9 7 ENÆ
Imprimebat CHRISTIANUS LAURENTIUS
KEMPFPIUS.

ANNO
M. DC. L

IN LIBRARIIS MUNICIPALIBUS

M U N I C I P I U M

Amplissimo, Excellentissimo & Experientissimo
DN. JOHANNI DRAWIZIO
Medicinæ Doctori, Chymico

& Practico apud Lipsienses famigeratissimo
Fautor & Amico suo vene-

-
-V
-M
-A
-E
-N
-T
-I
-O
-L
-I
-L
-E
-Y

Positiones has Medicas

In grati & amici animi signum.

2 (**) D. D. D.

A N E PRÆSES

Imprimere Christianus Laurentius

Chemistus

Anno

M DC L



Positiones quasdam Medicas ad dispu-

Ptandum tradimus non ostentationis sed exerci-
tationis, non aliqualis authoritatis acquirendæ
sed veritatis inquirendæ gratiâ. Diu enim du-
bitavimus de hisce, quas posuimus, rebus. Dubia itaq;
breviter adduximus, mentemque nostram, quâ fieri
potuit, perspicuitate, explicuimus. Philiorum
de his judicia expectatur. Sit autem Positionum Me-
dicarum.

Gonorrhææ causa non semper semen est.

Gonorrhæa in genere significat omne
seminis p. n. profluvium, quo cunque et-
iam modo fiat, cuius quedam sunt diffe-
rentiæ, Alia enim fit sine penis tensione,
quæ simplex est & propriè sic dicta; alia
cum penis tensione, quæ impropriè ita vo-
catur. Gonorrhæam propriè sic dictam
definiunt, quod sit seminis nimia & invita, sui ipsius & partium
spermaticarum vitio, profusio. Stauunt itaque ejus causam se-
minis profusionem. Semen autem per continuum talem
fluxum semper excerni impossibile esse sequentia evincunt.
1. materiae quantitas, nam id quod excernitur aliquot libras
excedere experientia docet, ast tantum seminis profluere pos-
se, nemo sanus statuet. 2. materiae qualitas, odorem enim &
colorem seminis non semper refert, sed odorem de spirac-

A a gra-

anior



*πι cum ab auctoribz. Nathanielz. plus
decidere homini effluente urinæ.
magis urina; quam si so educant
Langvinis. V. Henr. ab Heer. p.m. 231.*

*V. Henr. ab Heer obseru.
18. p.m. 231.*

gravem, colorem refert varium, interdum nigrantem. 3. *Flu-*
xus duratio; Perseverat enim nonnunquam ad aliquot annos,
exemplo est Vir quidam Patavii, qui supra 30. annos hunc pas-
sus est affectum. Novi aliquem Lipsiæ, qui per sex annos eo
laboravit. Ibidem per DEI gratiam restitui alium, qui per
biennium & septimanas aliquot hoc afflictus fuit malo. Ve-
ro autem consentaneum non est, seminis fluxum sine virium
prostratione, ac vitalis roboris extinctione tamdiu durare pos-
se. 4. *Urina signa*: materia excreta matulæ urinariæ fundum
petit, quod tamen contra seminis naturam, utpote cuius est
supernaturæ & concussâ urinâ non divelli.. A vero itaque non
multum aberraret, qui statueret, initio quidem aliquid semi-
nis vel ob ejus aut partium spermaticarum vitium vel faculta-
tis rétentricis imbecillitatem excerni, successu temporis vero
humores excrementios adjungi, quos natura per factam
hanc viam expellit, Naturam enim noxios humores per viam,
quam invenit ut plurimum evacuare, neminem naturæ peri-
tum latet. Sunt quoque qui hunc fluxum ab ulcere prostata-
rum, pravos humores eructante, provenire statuunt, unde *Cl.*
Würsing, in trium cadaverum gonorrhœa extinktorum à se se-
ctorum prostatis vestigia ulcerum cicatricesque manifestas
animadvertisit. Quod, si sit, non videmus, cur non & hanc
amplectatur sententiam..

II.

*Rigoris & Horroris causa proxima est caloris
naturalis in partes exteriores impedi-
tus influxus.*

Rigor & Horror, quæ tantum secundum magis & minus
inter se differunt, vulgo definiuntur, quod sint muscularum
corporis cum refrigeratione & dolore quodam conjuncta vi-
bratio, à re molesta partes exteriores sentientes subito vellicant
& expaltricem irritante exorta. Statuunt itaque causam Hor-
roris

roris & Rigoris rem molestam, sive frigida ea sit, sive calida, ut id ex Galeno d. *symp. caus. c. 5.* videre licet. Eaque est vel externa, vel interna. Interna causa sunt humores acres & mordaces externas partes subito vellicantes. Externa potest esse quæcunque foris incidit & humores istos acres & mordaces agitat. Sunt qui putant, fieri rigorem & horrorem ob inæqualem caloris naturalis motum, cursum recursumq;, & ejus cum re molestâ pugnam. Verum istæ opinions non usque adeò probabiles videntur, Primam quod attinet. I. falsum est. Humores acres & mordaces utpote calidos, rigorem excitare sequeretur enim, 1. Calidum per se frigidum affectum procreare posse. 2. in continua tertianâ, ictero, & scabie itidem rigorem fieri. 3. vehementem dolorem rigoris comitem individualium esse, quod tamen experientiæ haudquaquam respondet. Et licet dolor quidam in rigore interdum adsit, istamen non ita lacinans est & acris sed gravatus & obtusus. II. Falsum quoque est: Refrigerationem propterea fieri, quod calor & spiritus, dum facultas ad expellendam materiam molestam insurgit, ad interiora recedat. Notum quippe est, Naturam, quando aliquid noxiū expellere nititur, calorem & spiritus, utpote quorum ope ad id patrandum indiget, semper ad se trahere, in primis si fiat ista refrigeratio (ut ipsi volunt) cum dolore. Ubi enim dolor, ibi attractio sanguinis & spirituum, ubi sanguis & spiritus, ibi calor, unde ergo refrigeratio? Alteram quod concernit sententiam, nemò facile huic scribet, si enim ob inæqualem caloris motum cursum recursumque fieret rigor, sequeretur in ipso calorem modò adesse modò frigus, quod tamen falsum est, tunc enim sequitur calor & quidem cum impetu, quando rigor desit. Probabilior ergo & verior est sententia eorum, qui statuunt Rigoris proximam & immediatam causam prohibitum & impedimentum caloris & spirituum in partes exteriōres influxum, & quidem non ita simplicem, alioquin omnem refrigerationem corporis queretur Rigor, sed tamē cui facilis denegatur solutio. In Proabant autem hunc impedimentum caloris influxum, 1. sensus, ut-

A. 3.

pote:



pote qui partes exteriōres frigidiores, interiores calidiores jūsto esse docet. 2. Cordis ob sanguinem ibidem coacervatum, angustia & compressio. 3. Effectus. Quod calor tandem magnā copiā erumpat, Cor & partes vicinæ à compressione illa liberentur & tandem Rigor, concessò scilicet sanguini & spiritibus libero in exteriōres partes influxu, ccesset.

Causæ autem quæ influxum hunc prohibere possunt, sunt vel Internæ, vel Externæ. Internæ sunt humores excrementitii, vapores crassi & flatus. Possunt autem hæ causæ quatuor modis hunc impedire influxum. 1. sanguinem refrigerando & eum ut ad motum ineptus sit, cogendo. 2. sanguinem simplici commixtione incrassando. 3. Valvulas omnino obstruendo. 4. Venas extremas implendo & constringendo easque ita ad sanguinem recipiendum indispositas reddendo. Externæ possunt esse quæcunque frigida corpus nostrum invadentia: ut Aqua & Aēr frigidus, ad quas causas externas quoque metus & terror refertur. Illa rigorem excitant partes exteriōres refrigerando & constringendo, unde sanguis non modo condensatur & ad fluxum ineptus redditur, verum etiam compressione vasorum ad interiores partes repellitur. Hæc quatenus spiritus conturbant & ab exterioribns ad interiores partes revocant. Notandum tamen, nos hic verum intelligere rigorem & non aliqualem tantummodo corporis concussionem & retractionem, qualis à scintilla, Igne candente & Aqua fervente fieri solet. V. Sacri. Instit. l. 3. p. 202, 203.

III.
*Cibus deterior ab ægro avidè petitus, ipse
non planè denegandus.*

Ebricitantibus non raro accidit, ut cibum quamvis deterius sit, nimis appetant, qui tamen ab invidis & morosis medicis planè prohibetur, unde interdum fit, ut ægri, eo denegato, in extrema conjiciantur pericula & contraria concessio, in pri-

stinam



finam restituantur sanitatem. Ex pluribus notum est Exem-
plum de quodam Saxone, qui cum in Italia febre quadam la-
boraret, avidè petasonem appetiit, quo accepto à febre sua li-
beratus est. Quapropter Hippocr. 2. aphor. 38. dixit: *Paulò de-*
terior cibus, suavior tamen, meliori quidem sed insuaviori præfe-
rendus. Rationem addit Galenus in comm. quia ventriculus
ea, quæ cum voluptate sumuntur, avidius amplectitur & pro-
pterea facilis concoquit. Unde illud Avicennæ profluit;
Quod sapit, nutrit. Ventriculus enim, quando cibum ita avidè
apprehendit, facilis eum concoquit, pravum nimis in isto
separando ac cum reliquo vitiosæ materiæ per alvum exser-
nendo. Unde deficiente materiâ morbo somitem præbente,
affectus ipse haud difficulter tollitur, ægerque pristinas citius
vires recuperat. Non raro quoque fit, ut is cibus peculiari vi
morbo aduersetur & ita illius vires infringat, quamvis ea vir-
tus & ægrum & medicum lateat, nondum enim omnium re-
rum vires perspectas habemus. Cum contrà cibus, quamvis
bonus, à quo si quis abhorreat, ruet, inflationem, nausem,
vomitum &c. concitet. Non itaque inconsultum fore puta-
mus, si ægro aliquid de tali cibo in chronicis præsertim mor-
bis, si antè illo sæpius uti consueverit & exactæ diætæ pertæsus
fuerit, concedatur. Verum non talem intelligimus cibum
qui exhibitus sensibilem afferre noxam ac ægrum in summum
præcipitare possit periculum, sed ut vult Hippocr. d. I. paulò
deteriorem. unde etiam idem 6. Epid. & lib. d. affect. cibos, po-
tus & obsonia, quæcunque ægri concupiscunt, si modo da-
mmum non afferant, exhibere jubet. *V. Disp. de Maneria Genitj. Vol. II. f. 34.*
1. 44. Serrest. 1. 2. d. Febr. c. 22. p. m. 315. c. d. Conf. c. Dis. c. 14. p. 234.

IV.

Doloris causa continua tantum solutio.

Doloris causam vulgo statuunt & alterationem & conti-
nuo solutionem, probantque id ipsum sequentibus ratio-
nibus. 1. quia alteratio æquè repente & violenter ac continua
solutio partem sensibilem alterare & violare potest, unde alium
dolo-

dolorem à frigore & calore nimio, alium à solutione unitatis sentimus, quod videre licet tempore hyberno, ubi dolor circa unguium radicem à nivis aut glaciei contactu refrigeratis & iterum subito calefactis manibus, oritur. 2. quia proprium tactus objectum excedens & immoderatum dolorem inferre valet. 3. Tactus organi naturalis constitutio non solum in unitate sed & in legitima temperie consistit. 4. ratione contrarietas, alteratio quippe conveniens voluptatem E. inconveniens & nimia dolorem causatur. 5. quia doloris curatio non solum per agglutinaria sed & alterantia perficitur. Quidam neq; ab his solū fieri putant dolorem sed & alia addunt, Videmus enim, dicunt, nervum detectum à levissimo etiam minimoque contactu corpusculi cujusdam dolorem sentire, idem in recenti vulneris carne videmus, quæ si leviter capillo tangatur, acriter dolet, itemque pupilla, si gossypio tangatur. Odor quoque gravis, qualis ex carbonibus fossilibus, fece cœrvisæ recentis & aliis spirat, eandem obtinet vim. Nonnulli & quidem recentiores violentam & repentinam qualitatum tactivarum mutationem doloris causam esse proximam, audent. Nos omissis his opinionibus solā continui solutionem pro genuina & proxima doloris agnoscimus causa, persuasi ratione & experientia. *Ratio:* Quia unius effectus una tantum proxima & immediata est causa, ad quam omnes reliquæ quæcunque dolorem excitare aptæ natæ sunt, referri possunt. *Experientia docet*, Quod, ubicunque dolor est, ibi etiam sit continui solutio, & contrà. Nullum itaque objectum sive alterando sive quoctunque modo agendo dolorem excitare vallet nisi continuum solvat. Quæ continui solutio quamvis non manifesta semper sed ut plurimum obscura sit. Ex quibus responsio ad rationes superius allatas facile appetit, applicationem in ipso videbimus conflictu.

V.

Caput purgantia male à cœna exhibentur.

Maxima vulgi pars non solū, sed & non pauci inveniuntur

eur Medicis, qui medicamenta ad purgandum caput ordinata
vel mox ante vel post coenam assumi, satius esse putent, se-
quentibus rationibus persuasi. 1. quia hoc modo eorum vis
& facultas cum cibi vaporibus simul ad caput elevatur, indeq;
humores excrementitii in capite contenti fortius & citius in
ventriculum trahuntur. 2. quia admistis alimentis ægri pala-
to consulitur, non enim sapor ipsorum ingratus ita facile per-
cipitur. 3. vis medicamentorum aliquantum obtunditur,
ipsorumque impetus, quem ægre ferre solent ægri, aliquo mo-
do infringitur. Nituntur quoque auctoritate Galeni qui 1. i3.
M. M. c. 15. & lib. 5. d. tuend. sanit. c. 9. brassicam marinam.,
Cnicum & Mercuriale cum cibo ad alvum laxandam exhi-
bet. Verum nec rationes allatae, nec auctoritas adducta nos
ad hanc sententiam amplexandam movent. Purgantium
enim, si ea cum cibo assumentur & permisceantur. 1. vis ob-
tunditur, & à cibo obruitur, ita, ut ad operandum minus apta
sint. 2. Coctio valde turbatur & cibus corruptitur; naturâ
enim pharmaco purgante irritatâ humores excrementitii co-
piosè affluunt, & cum cibis miscentur, unde 3. fit, ut nondum
concoctus in venas, epar, totumque corpus trahatur atque
hinc obstrunctiones, & alii morbi excitentur. Arbitramur itaq;
tempus ad assumenda pharmaca aptissimum matutinum esse,
utpote quo ventriculus facta scilicet concoctione à cibo liber
est & natura medicamentum remotis obstaculis facilius in-
actum deducere valet: Rationes allatas quod attinet. Re-
spondemus ad 1. Illius sententiæ sectatores niti falsa hypothe-
si, quod nimirum humores in capite contenti rectâ per fauces
in ventriculum beneficio purgantium rapiantur. Si ita esset,
perciperentur humores noxii sapore & faciliter creatu per os
quam per alvum evacuantur. Cum tamen tironi etiam
medicinae, humores vi purgantium per venas ad intestina &
ventriculum deduci, notum sit. ad 2. Non propterea ægri pa-
lato inservire licet, ut plus noxae, quam commodi in ægrum
transferatur, cum alii dentur modi, quibus ingratus purganti-
um sapor occultari possit absque virium ipsorum oppressione.

ad. 3. Non modò ipsorum vis obtunditur; sed penitus, quod mi-
nus suas operationes perficere queant, obruitur, nec ipsorum
impetus ita metuendus, cum plurima purgantia hodiè ita tem-
perari & corrigi queant, ut absque ullo impetu in corpore no-
stro operentur. Si autem sententiæ hujus defensores non ele-
ctivè purgantia, sed tantum lenientia intelligent, de quibus
authoritas adducta valet, non videmus quomodo ea, quæ va-
lentiori purgandi vi carent, primas saltem vias abstergunt &
cum alvi exrementis simul detruduntur; crassos & viscidos
in capite contentos humores evacuare valeant! Nec nobis
authoritas deficit, non modò enim recentiores ut *Renodæus*
lib. 2. s. 4. Septalius lib. 6. animadv. th. 15. Sennert. lib. 5. p. 2. s. 1.
c. 9. Instit. & alii sed & veteres ut Hipp. 2. d. nat. viit. Paul. Agi-
net. l. 7. c. 6. Avicenn. sen. q. l. i. doctr. s. c. 5. & ipse quem addu-
xerunt, Galenus nobiscum consentit. V. Gabelson. cent. ob. 5. 6. p. 12. 2.

l. 1. Med. Pr. p. 1. c. 5. q. 2.

S O L I D E O G L O R I A.

C O R O L L A R I A.

1. **H**umorum Corporis Humani Natura non solum
primis Elementorum Qualitatibus est defini-
enda.
2. **H**umores in corpore venenorum Naturam induere
possunt.
3. Seminium contagii potest & sine putredine generari
& licet cum putredine generetur, tamen putredo per se
& quatenus talis ejus causa Efficiens proxima non est.
4. Venenati Humores frequentissimè in corpore nostro ge-
nerantur materia sive alimenti ratione. Cum enim in
singu-



singulis coctionibus novae mictiones fiant neq; formā
unā sublatā omnes subordinatae percant neq; in quāli-
bet rei mutatione & corruptione fiat resolutio ad ma-
teriam primam, verum quando aliquid corrumpitur
forma tantum & determinatum illius forma qua cor-
rumpi dicitur, temperamentum seu subjectum cum
suis accidentibus pereat, alia vero forma subordinata
cum propriis quoq; suis accidentibus integrā manere
possint, accidit ut sāpē aliqua forma manifestetur &
se se exserere incipiat, quae anteā latebat. Et quod
Hipp. l. d. pris. Medicin. de duvāque & potentis humo-
rum scribit, id etiam de venenorum Natura hic ve-
rum est.

5. Aēr per se non putrescit.
6. Venæctio in cura Pestis non est necessaria.
7. Spiritu Vitrioli tutissime utilicet in febribus.

MOLLENBROCCE, artis Medicæ Clarissime DOCTOR,
augustæ Cathedræ dum te committere cerno,
Ingenii vires, & promptum sidere fausto
egregium specimen doctrinæ tradere, jure
acclamo, FOELICITER! una siet tibi porro
Hesperidum sapidos fructus decerpere in hortis
cura per augustam portam, virtutis, honoris
sic pertinges ad ædem, sic gens sera loquetur,
æternoque tuum sacrabit nomen honori.

Conatus tuos egregios Cl. MOLLENBROCCI
laudat, divinæq; benedictioni commendat

Guernerus Roflinck Phil. Med. D.
Pr. & Chim. P.P. Facult. Senior, Me-
dicus Ducalis Saxonius.

Tmema-



TMemora quæ doctâ profers Hoffmannæ cathedrâ.
ingenitum subtili digna videntur.
Si porro perges medicus perquirere scrupos,
dulcia præstabit tandem Salanus Apollo inq. miseri
præmia, tæq; viris clari sociabit in orbe.

quod ex animo vovet

Gothofr. Mæbius D. P. P. Med.
Elect. Brand. & Adm. Archi-
bisp. Episc. Magdeb. Fac. Med. h.t.
Decanus.

DElectent alios funesta Martis
Bella, divitiæ placere possint,
Gemmae atque alii colant nitentes
Nomen alteriusve dente iniquo
Rodant. T' coluisse Friderice
Naturæ assiduo labore operta
Mentem latificat, paras celebre
Nomen inde tibi, decus perennans.

Philias evena, exedræ

Augustus Meschman
Canticum Goethei Philippi
Sæculare latus, et cetera pœnori.

Canticum Goethei Philippi
P. G. Oph. a. 1790. 2. 1790. Me
Gesamtkatalog Sachsen-Anhalt

J. 1790.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-568610-p0015-6

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-568610-p0016-1

DFG


ULB Halle
005 132 606

3



KD17





FarbKarte #13



Volente Archiatro Maximo
1650
POSITIONUM
MEDICARUM
PENTAS.
Quam
Confensu & Authoritate Gra-
tiosissimi Medicorum Collegii,
17
P R E S I D E
VALENTINO ANDREA MÖLLEN-
BROCCIO ERFFURTENSI ME-
DICINÆ DOCTORE,
Publicæ disquisitioni subjicie
FRIDERICUS HOFFMANNUS
HAL-SAXO PHILIATER.
Ad diem 24. Octobr.
Horis matutinis & loco consueto.

3 EN AE
Imprimebat CHRISTIANUS LAURENTIUS
KEMPFPIUS.
ANNO
M. DC. L.